

367

Original. N. 1/1

04

11/2

ata

eruz. ats Lancelottg

of d. rechten

er newbergen. u

e. newberge lita -

figuren

*G. d. 367*

~~3 214~~

q. IV, 678



P. d. 367

Original. P. 1/2

1/2

1/2



M. L. Dolopropia in eo qui layca ed quad unoccat. Ut moue  
det unypho amia unly glo. L. nemo C. di. su ty i p. m.

[Polito, Ambrosio Cat.]


78 L 1047



M  
S. K. N

+





NAVIS. SEV. VOTA.  
LVCIANI.

Bilibaldo Pirckheymero  
Interprete.



CLARISSIMO VIRO HOLDERICHO VAREN  
puhler Cæsarei regiminis Cancellario dignissimo,  
Bilibaldus Pirckeymherus. S. D.



Ccipe Holderice amantissime, nugatoris Luciani fabulas ridiculas, non absimiles illis, quas nobis cōmunis amicus noster Albertus Durer nuper referebat, dum ex ædibus nostris bellica intueremur spectacula, ac omnia tubis armis clamore & hastarū perstreperent fragore, ijs em̄ se quādoq; non secus ac suauissimo alicui somnio ita inuolui dicebat, ut si res ipse cogitationibus responderent, uel beatissimus uideri posset, atqui haud ignoramus talia nō solum Alberto nostro euenire, sed p̄ paucos esse hoīes, qui non interdū uanis cogitationibus ita agant̄ transuersse, ut verissimū Satyrici illud experiant̄. O curas hominū o quantū est rebus inane sed uoluit forsitan rerū natura, ita mortaliū solari animos, ut qd̄ re ipsa denegauerat, uanis saltē expleret imaginatio nibus, ita ut infelicissimus quisq; semetip̄m q̄ties uellet cōsolari & oblectare, nec nō opibus Regijs & summis delicijs licet inaniter frui posset, quę cūcta Lucianus, uite humanae cēsor, seu mauius irrisor acerrim⁹, minime ignorauit ita em̄ vanitatū vanitates ob oculos ponit, ut nō minus irridendo sit iucūdus, q̄ admonēdo prastabilis, p̄inde quū sales illius, potissimū nostris cōueniant sermōibus, tēpus q̄ per belle q̄drare uideat̄, uolui & ipse aliquātis per a negocijs solutus, in illo uertendo ineptus esse, ne solus in cōmuni leticia sapere censerer, q̄ pacto em̄ horas perituras melius collocare potuissē: q̄ ut tibi risum mouerē, pariterq; testarer amorē nostrū iam diu inueteratū, nequaq; mihi anio excidisse. Ceterū cur sexū nōnunq; immutauerim, uerecūdus lector p̄ se facile deprehendet, lege igit̄ Holderiche suauissime nugas has nō penitus inanes, & sub lusu qd̄ te oblectare, pariterq; admonere possit, inuenies, Bene vale ex ædibus nostris quarto Kalendas, Marcij, Anno salutis nostræ, M, D, XXII.

21  
NAVIS SEV VOTA LVCIANI

Lycinus, Timolaus, Samippus, Adimantus.

**N**onne dicebam, posse cadauer in publico abiectum, vultures potius latere, quā Timolaum spectaculū aliz quod mirandū, etiam si Corinthum vsq; perpetuo spiritu currere necesse esset, adeo spectandi cupidus, & in talibus impiger existis TIMOLAUS, quid aliud agerē Lycine? cum ociosus essem, audiuissemq; nauē tam vastam, ac mediocritatem excedentē cunctā, in Pireum adnauigasse, ex Aegyptijs illis, quæ frumentū in Italiā ferre consueuerūt, quin reor te pariter, & Samippum hunc, non aliā ob causam, quā nauis visendæ studio, ex vrbe huc accessisse LY, ita per Iouē, sed & Adimantus Myrrinusius nos sequutus est, quo vero inter spectantiū turbam oberrans puenerit, ignoro, nam pariter ad nauem applicuimus, ac illā ascendimus, & tu quidē Samippe, vt arbitror precedebas, te vero Adimantus sequebatur, ego vero ab illo ambobus pendebam manibus, meq; per cuncta nauis circūduxit lubrica, vtpote calceis indutum, cum ipse nudis esset pedibus, inde nō amplius hominē vidi, nec in nauē, nec cum reuerteremur, SAMIPVS nosti ne Lycine, vbi nos ille reliquit? tum enim vt arbitror, quum puella illa formosa, ex thalamo pdibat, splendida induta palla, ac religatis in tergum capillis, vtrinq; a fronte discriminatis, etenim si bene Adimantū noui, existimo, cum tam elegans vidisset spectaculum, longe Aegyptio illi nauis fabricatori, qui ratē circūuertebat, vale dixisse, flentēq; vt assolet, substitisse, nam in re amatoria, perq; facile lacrymas pfundere consuevit LY, atqui Samippe, puella illa, non tam pulchra mihi uisa est, vt Adimantus illius forma capi deberet, quē tot speciosæ Athenis, vltro ambiūt, liberæ omnes, lingua argutæ, ac suauiter redolentes, ad quarū cōspectum, flere

A ij

haud sit ingenerosum, hæc vero, præterq̄ q̄ colore sit fusco, ac labris porrectioribus, crura habet admodum macis lenta, ac rancidum quid, necnon incōcinnum, & inuolutū loquitur, tametsi græce, quod tamē stridore, ac vocis sono, in patrium degeneret sermonē. Coma vero ac capilli, intergum religati, eam nec liberā esse indicant TI, at coma Lycine, nobilitatis signū est Aegyptijs, nam eam, cunctæ virgines liberæ, ad pubertatē vsq̄ plicare solent, sed & p̄ genitores olim nostri, quibus pulchrum videbatur, vt senes quoq̄ cesariem p̄ducerent, cincinnos, aurea cicada cōcinnatos, nectebāt SA, Euge Timolae, per q̄ oportune nobis Thucydidis scripta ad memoriā redigis, quibus in p̄oemio de antiquis nostris delitijs mentionē facit, ac cultū illum diu inter Iones, propter cognationē durasse ait TI, atqui Samippe, nunc mihi venit in mentem, vbi nos Adimantus reliquit, nempe, quum apud malum diutius morā faceremus, suspicientes, & corij seriem numerantes multiplicem, admiraremurq̄, nauā illum, per funes ascendentem, ac inde tam secure p̄ summas discurrentē Antennas, ita, vt & fastigium ipsum contingeret SA, recte dicis, sed quid nos hic facere oportet? num illū expectabimus, aut si mauis, rursus ad nauem redibo. TI, minime, sed reuertamur, nam forsitan, cum nos reperire nequiuit, iam prætergressus est, ac in urbem puenit, sin minus, viam nouit, nec timendum, si a nobis relictus fuerit, aberret LY, sed cōsiderate, num deceat nos, amico relicto abire, eamus tamen, si ita & Samippo videtur SA, quin maxime videtur si forsitan palæstrā adhuc apertā reperire possimus, at inter loquendū, qualis nam nauis? siquidem Naupegus, longitudinē centum viginti cubitorū esse dicebat, latitudinē vero vltra quartam mensuræ huius partē, a summo autē vsq̄ ad imum, vel sentinæ pfundū, cubitos viginti nouē, de reliquis vero quid dicemus? qualis enim malus? quan-



3.  
tasque fert antemnas? quibus utitur ac retinetur funibus? que  
affabre pupis reflectitur? aureo decorata ambitu. e diuerso  
so autem iusta proportione consurgit prora, paulatim contras-  
cta, & hinc inde dea Iside a qua & nomen sortita est, insis-  
gnita, quid vero de reliquo dicam ornatu? picturae enim, ac  
ueli splendidum igniuomumque iubar, Ancoreque preterea, nec non  
uertibula, & circuitus, habitacula insuper post pupim, omnia  
mihi admiratione digna uisa sunt, nauarum uero turbam,  
exercitui quis, recte comparare posset, fertur insuper, tan-  
tum portare frumenti, quantum per annum integrum suffi-  
cere posset, in cibum, omnibus qui uniuersam incolunt,  
Atticam, & haec omnia paruus quidam homuncio, iam senex  
conseruat, tanta gubernacula, leui circumuertens labore,  
nam mihi ostensus fuit, totus caluitie glaber, nomine ut ar-  
bitror Heron. TI. perque mirandus arte, ueluti una nauigan-  
tes referebant, ac rei maritimae plusquam Proteus gnarus, sed  
nunquid audistis? quo pacto nauigium, hucusque perduxit,  
qualia nauigantes sint perpassi, ac tandem a Stella quadam  
saluati? LY. nequaquam Timolae sed nunc libenter audiremus  
TI. Nauclerus ipse mihi retulit, uir bonus, & conuersatione  
non iniucundus, dicebat autem, cum a pharo soluissent, uen-  
to haud admodum uehementi, die septimo Acamanta con-  
spexisse, inde cum Zephirus ex aduerso spiraret transuer-  
se Sidonem usque delatos esse, hinc tempestate ingenti, decimo  
die, per Aulonam, ad Chelidoneas peruenisse, ibi parum abfuisse  
quo minus omnes submergerentur, noui autem, cum & ipse  
aliquando Chelidoneas propter nauigauerim, quanta uis aqua-  
rum, eo loci assurgat, praecipue cum Aphricus, contra No-  
tum spirare incipit, siquidem mare Pamphylum, ibi, a Ly-  
cio separatur, aestusque, tanquam multorum fluminum, in promon-  
torio frangitur, insunt autem scopuli acutissimi, prominentes,  
qui fluctus exasperant, ac sonitu ingenti terribilem reddunt  
inundationem, ita, ut sepius rupes illi uastissimi, penitus ma-  
A in

tinis obruantur procellis, in tale periculū, & eos, naucler-  
rus incidisse dicebat, sub caligine multa, & cū ad huc nox  
esset, cuncti ingenti ullulatu, deos inuocassent, subito ignē  
e regione Lyciæ effulsisse, cuius beneficio, tam periculos-  
sum euitarint locum, Stellam præterea quandā fulgentem  
ex geminis alterum, Carchesio insedisse, nauemq; ad sinis-  
tram in pelagus detorsisse, cum iam iam in cautes impin-  
geret, inde cum semel a recta excidissent uia, ac per mare  
Aegeū, obliquē Etesijs cōtra flantibus nauigassent, septua-  
gesimo demum die, postq; ex Aegypto soluissent, heri, in  
Piræum delatos esse, adeo tempestate abreptos, quum a  
dextra Creta relicta, Maleā superare, ac iam in Italia esse  
deberent, LY, admirabilē per Iouem, gubernatorē Hero-  
nem esse dicis, seu potius Nerei coetaneū, qui tantū aber-  
rarit a uia, sed quid hoc rei, nonne ille Adimantus est? TI.  
pfecto Adimantus ipse, uociferemur igitur, Adimante, te  
apello, Myrrinusium, Strobichí filiū, LY, eduobus alterū,  
aut indignatur, aut surdus est, nam plane Adimātus, & nō  
alius existit, iam em̄ manifesto discerno, & palliū, & gres-  
sum, & cesariem, acceleremus igitur, ut illū assequamur/  
nisi te Adimante pallio trahentes, conuerteremus, nunq;  
nos clamantes audires, sed & meditationi cuidam p̄funde  
immersus esse uideris, rem non leuem, seu contemne-  
dam, ut apparet, tecum uolutans, ADI, nil ardui est Lycis-  
ne, sed inter ambulandū noua quædam mihi incidit cogita-  
tio, quæ ne uos audirem, effecit, siquidē tota mente, in illa  
uersabar, LY, et quæ nam illa fuit? ne enim nobis referre  
cuncteris, nisi quid sit penitus reconditū, nam ut nosti, inis-  
tiati sumus, ac celare didicimus, ADI, sed pudet me referre,  
nam puerilis uobis cogitatio uidebitur, LY, at quid nā  
est amicissime Adimante, non em̄ prophanis nobis illud  
narrabis, sed qui & ipsi, sub clara face sint initiati, ADI,  
nil tale est uir admirandæ, sed mihi ipsi opulentiā quandā

4

fingebam, quā multi, vanam apellant foelicitatē, nos uero quum iam in delicijs, & summis uersarer diuicijs, superuenistis. LY. atqui tritissimum illud, cōmunis inquit, Mercurius, opes em̄ in medium afferens, deponit, dignum igitur erit, quum Adimanti simus amici, deliciarum quoq; illius fieri participes. ADI. derelictus sum a uobis, confestim, sub primum in nauim ingressum, postq; te Lycine in tuto constituissem, etenim quum Anchorę metirer magnitudinem, nescio quo pacto ex conspectu meo euanuistis. Ego uero quum om̄ia diligenter inspexissem, nauitā quendam interrogauī, quantū nauis illa, annuatim domino lucriferi afferret, at ille mihi respondit, talenta duodecim Attica si quis rem uel uilissime aestimare uellet, regrediens igitur ita mecum considerare cōepi, si quispiam Deorum, nauem hanc repente mihi habendā cōcederet, q̄ foelicē uicturus essem uitam: q̄q; om̄ibus amicis benefacere studerem, nō nuncq; enim ego ipse enauigarē, aliquando uero domesticos emitterem, inde ex duodecim talentis illis, domū in loco edificarē oportuno, parumper super portam Pecilem, dimissa paterna illa, iuxta Elissum, seruos pręterea emerē innumeros, ac uestes preciosas, necnon currus, & equos, ita, ut quum nauigarem, foelix ab om̄ibus reputarer ascensoribus, terribilis nautis, ac tantum non Rex habitus. Cæterū quum singula queq; in nauī recte disposuissem, ac p̄cul iam, portum ferme respicerem, superuenisti tu Lycine, opesq; submersisti uniuersas, ac nauem, quum uento laberetur secundo, plane euertisti. LY. nunquid igitur uir generose, ad pretorem me rapis, tanq; Piratam quendam, aut submersorem, qui talem perdidit nauem, idq; in continenti, inter Piręum & urbem, sed cerne, quemadmodum tibi damnum refartiam, quinq; igitur, si uoles, pro una, recipe naues, pulchriores ac maiores Aegyptia illa, & quod maximum est, quæ nec submergi ualeant, ac quin

quies, annis singulis, frumentum tibi ex Aegypto ad ue-  
hant. Ceterum Nauclere optime, forte tum nobis intolera-  
bilis eris, quum enim ad huc nisi unius nauis dominus  
esses, clamantes nos audire noluisti, quod si quinque nactus  
fueris, easque instructissimas, & que submergi nequeant,  
amicos etiam aspiciere dedignaberis, tu igitur uir optime,  
secunda nauiga aura, nos uero in Pireo residentes, eos qui  
ex Aegypto, aut Italia adnauigant, interrogabimus, ubi nam  
Adimanti nauem illam magnam, Isim, uiderint nomine. ADI.  
uide, ac ideo, que in animo uersaueram referre cunctabar,  
sciebam enim, quod uota mea, risu, & cauillis lacessituri essetis,  
subsistam igitur parumper, donec uos, progrediamini, ac rur-  
sus ad nauem redibo, longe enim satius erit, cum nautis fa-  
bulari, quam ita a uobis irrideri, LY. minime, nam & nos sub-  
sistemus, ac tecum nauem ascendemus, ADI. atqui uos pre-  
ueniens, scapas subtraham, LY. sed nonne ad natate pote-  
rimus? neque enim tibi facile euenire posse existima, ut talia  
possideas nauigia, quum ea nec edificaueris, nec mercas-  
tus fueris, nos uero nequire a deis impetrare, ut etiam, per  
multa stadia, indefessi natate ualeamus, sed & nosti, in qua  
li pridem scapha, omnes pariter amici, Aegnam usque, ad festi-  
uitatem, singuli, quatuor obulorum precio traieceremus,  
nec tu quod una nauigaremus, moleste ferebas, nunc uero in-  
dignaris, si solum nauem tecum ascendamus, preueniensque,  
subducis scapas, uerum nimium superbis Adimante, ac in-  
finum haud expuis, quumque ignores, qualis nam sis, naucler-  
um tamen agis, ita tibi domus, in loco ciuitatis erecta cele-  
bri, & sectantium multitudo, cristas erigunt. Ceterum uir opti-  
me, per Isidis numen, memineris, ut nobis ex Aegypto com-  
dimenta Niliaca, tenuia illa, ad uehas, aut ungenta Canos-  
pica, seu mauis, Ibim Memphiticam uel si nauis ferre po-  
test, unam ex Pyramidibus, TI. iusisti satis Lycine, cernis  
enim quantum Adimanto ruborem inieceris, quum risu

5  
tam copioso ita nauē inundaris ut exhauriri nequeat, Pro  
inde quum multū adhuc ad urbem usq; supersit itineris,  
in quatuor illud diuidamus partes, ac unicuiq; sua attri-  
buamus stadia, in quibus singuli a deis, quicqd uisum fue-  
rit, ualeant postulare, ita em̄ fiet, ut nec laborē sentiamus,  
pariterq; letemur, tanq; in suauissimū, ac sponte affluentē  
incidentes somniū, qui nobis, quantū desideramus bene-  
facere, & cunctos oblectare possit, siquidem penes quēq;  
uoti mensura erit, dei uero exaudientes, omnia cōcedent,  
etiā si natura sua impossibilia fuerint, & quod maximum  
erit, res ip̄a indicabit, quis nam optime uotis, ac diuitijs uti  
noscat, siquidē inde manifestū fiet, qualis nam unusquisq;  
quum ditatus fuerit, sit euasurus. S A. recte dicis Timos-  
lae, tibiq; astipulor. quumq; tempus aduenerit, ego quoq;  
quæ mihi uisa fuerint, optabo, si ita & Adimanto uidetur,  
uerum illum interrogare nil attinet, utpote, qui pedem ad-  
huc alterum, in naui habeat, a Lycino igitur exquirendū  
erit, num ita faciendū censeat. L Y. ditescamus sane, si id  
boni quippiā afferre pōt, ne fœlicitati cōi inuidere uidear.  
ADI. quis igitur incipiet? L Y. tu Adimante, post te uero  
Samippus iste, inde Timolaus, ego uero parūper, & quasi  
semistadiū ante Dipylum, optare incipiam, ac illud quan-  
tum potero uelociter transcurrā. ADI. ego igitur ne nunc  
quidē, a naui recedam, sed si possibile est, uotis illam metiri  
conabor, omnibus uero Mercurius annuat lucrosus, sit  
igitur nauis mea, & om̄ia quę in illa sunt, merces, mercas-  
tores, mulieres, nautę, & si quid aliud est, quod præceteris  
suaue esse potest, L Y. atqui oblitus es quippiam. ADI.  
nempe puellę illius crinitę, sit igitur & illa mea, quantum  
autē inest tritici, tantum auri fiat signati, ac numero, tot res  
spondeāt Darici. L Y. quid hoc rei est Adimante? submers-  
getur nauis, non em̄ eiusdē ponderis, triticum, & pari nu-  
mero aurum. ADI. noli inuidere Lycine, sed cum ad te

*postulat a deo ut  
diuitias optet*

B

ordo peruenerit optandi, Parnasum illum, totum si volueris aureū reddas, ac possideas & ego silebo. L Y. at ego securitatis tuæ gratia, hoc faciebam, verebar enim, ne vna cum auro cuncta submergeres, & uestra quidem tolerabilia forsitan essent, Puella vero illa formosa, cum natate nesciat, vndis misera peribit. T I. bene spera Lycine, Delphines enim illam excipientes, illesam deferent in cōtinentem, quum enim olim Cytharædus quidam, a Delphinis liberatus sit, & cantus mercedem ab illis receperit, ac puer quidam alius submersus, a delphinis, pariter, in Isthmum sit delatus, minime timendum erit, ne Adimanti puellæ nouitiæ, Delphin amatorius desit. A D I. atqui & tu Timolae, fac Lycini sis imitator, stomachataqueingere, vt illius videaris discipulus. T I. Sed melius esset, rem facere credibiliorē, ac Thesaurum quendam sub triclinio inuenire, ne tibi molestū esset, aurum, ex nauī, in urbem deferre. A D I. recte dicis, effodiatur igitur Thesaurus, sub Mercurio lapideo, qui nobis est in aula, modiorū mille, auri signati, cōfestimque iuxta Hesiodum, domus primū, vt quæ splendidissime habitem, inde omnia, quæ circa urbem sunt coemam, preterque Isthmos, & Appollinis Pythia, & maritima quæ circa Eleusim sunt, ac pauca quæ Isthmis sunt coniuncta, certaminū gratia, si forte Isthmia aliquando publicauero campum preterea comparabo Sicyonium, & in summa, quicquid in græcia vniuersa, confitum, irriguum, & fertile est, id omne, breui fiet Adimanti, vasa autem escaria, ex auro erunt solido. Pocula vero, minime leuia, quemadmodū sunt Echecrati, sed quæ singula ponderent talenta bina. L Y. at quo pacto, Pincerna, poculum tam graue, quum plenum fuerit, tibi porriget? aut tu suscipies? quum haud Scyphum, sed Sisyphæum onus offerre videatur? A D I. homo, ne vota mea interturba, ego vero mensas quoque ex solido faciam auro, nec non triclinia, & nisi tacueris, etiā

ministros ipsos. L Y. sed vide solum, ne tibi vt Myde, pa  
nis fiat aureus, pariter & potus, ac ita ditescens, misere pe  
reas, fame absumptus preciosa. A D I. tua Lycine, paulo  
post, quum ad te optandi ordo puenerit, dispones aptius.  
Veste preterea utar Purpurea, vitamq; viuam mollissimā  
Somnus aut mihi erit suauissimus, aderunt amici, preces  
adhibebuntur, omnesq; timebunt, & prostrati me adora  
bunt, quidam vero mane, ante fores, susq; deq; obambu  
labunt, inter quos precipue Cleænetus erit, et Democra  
tes, qui quum accesserint, ac se dignos, vt pre ceteris intro  
mittantur censebunt, ianitores septem excubantes, robu  
sti omnes, ac barbari, confestim in illorum conspectu, for  
res occludent, quemadmodum et ipsi nunc facere solent.  
Ego vero quum mihi visum fuerit, solis instar emicabo, ac  
quosdam etiam intueri dedignabor, si vero quis pauper  
est, quemadmodum eram ego, priusq; Thesaurum inue  
nire m, illum benigne appellabo, lotumq; ad cœnam uenire  
iubebo, diuites vero, quum tot videbunt currus, nec non  
equos, puellas quoq; formosas, bis mille ferme, & quic  
quid ex omni ætate floridum est, laqueo se suspendent. Ex  
auro vero purissimo cœnabo, argentum enim vile nimis,  
nec mihi congruum. Salsamenta autem ex Hiberia apor  
tabuntur, vina vero ex Italia, sed & oleum quoq; Hiberia  
prebebit, melle autem nostro utar, ac eo defecatissimo, ob  
sonisq; vndiq; comparatis. Pernis nempe, Leporibus, vo  
latilibusq; omnifarijs, Phasianis, Pauonibus indicis,  
Gallis numidicis, qui vero singula concinnant, popinio  
nes erunt peritissimi, qui & bellaria ac condimenta cun  
cta scitule parare norunt, quum vero cuiquam prebitero,  
ac ille sciphum, vel phialam ex hauriens, petierit, cons  
festim poculum auferet vacuum. Qui vero nunc has  
bentur opulenti, mecum collati. Iri erunt omnes, ac  
mendici, nec amplius Dionicus scutellam argenteam,  
B ij

aut Scyphum, in pompa ostentabit, præcipue cum viderit  
seruos meos, adeo argento abundare, Ciuitati uero, hec a  
me publica obueniēt cōmoda, unicuiq; ciui, singulis mens  
sibus, drachmæ distribuentur centum, inquilino autem dis  
midiū tanti, publica insuper Theatra, ac Balnea pulcher  
rima ædificabo, perq; fossam, ingentem aqua admissa Di  
pylum etiā mare alluere cogā, ita vt in portæ quoq; vsum  
cedat, ac nauis mea, prope accedere, & ex Ceramico ipso  
conspici queat, vobis uero amicis, & primū Samippo vi  
ginti modios auri signati, dispensatorē metiri iubebo, Ti  
molao autē Choenices quinq;, uerum Lycino semimodiū  
tantū, nec illum cumulātū, quoniā loquax est, & uota mea  
mordere nō desinit, talem uitam inter diuicias tam copio  
se affluentes, exigere uolo, & om̄ibus perfrui delicijs, dixi  
mihī uero Mercurius, hæc cuncta reddat perfecta. LY. at  
nosti ne Adimante: q̄ a tenui filo, omnes hęc tibi pendeant  
diuitiē: qui si ruptus fuerit, omnia euanescent, tibiq; pro  
thesauro, carbones relinquētur. ADI. quo pacto Lycine:  
LY. quoniā bone uir, incertū est, quanto tempore, in tan  
tis uicturus sis diuitijs, quis em̄ nouit, etiā si aurea tibi apo  
sita fuerit mensa, num, priusq; manum extendas, ac pauos  
nem, uel gallum degustes Numidicū, animulā agens, de  
migres, ac cuncta illa, vulturibus relinquant, & coruis. q̄  
si audire uolueris, plerosq; tibi enumerabo, qui priusq; di  
uicijs uti potuerint, uita functi sint, nōnullos uero qui etiā  
anteq; obierint, omnia quę possederant, amisserint. Demo  
nis inuidia quadam, qui rebus tam secūdis, vt plurimum  
obniti consuevit, audiuiſti em̄ aliquādo, Croesum, & Po  
lycratem, qui te longe ditiores erant, breui tempore, omni  
bus excidisse bonis, & ut illos obmittam, nun sanitatē tibi  
firmam ac perpetuā euenturam putas: an nō cernis diui  
tes innumeros, misere cruciari doloribus, & hos quidem,  
nec incedere posse, alios autē cecos esse, uel intestinorum



7. Rex fuz optat

dolore afflicti. etenim, nec tu, bis tot diuicias possidere uelles, ut ea appeti, que opulentus ille Phanomachus, aut instar illius effeminari deberes, siquidem plane id noui, etiam si tu sileas, pretereo insidias multiplices, quibus ubique diuicie obnoxie sunt, necnon latrones, ac inuidiam, odiumque multorum, cernis igitur, que multarum molestiarum causa tibi fiet Thesaurus? AD I. semper tu mihi Lycine repugnas, quapropter nec amplius semimodum accipies, quum vota mea tam importune calumniaris. LY. recte iam diuitum quorundam mores imitaris, quum promissa reuocas, sed tu nunc Samippe optare incipe. SA. Ego uero (mediterraneus enim sum, ex Mantinea, Archas ut nostis) nullam mihi nauem obtingere precabor, impossibile enim esset, ut illam ciuibus meis ostendere possem, nec tam uilia a dijs postulabo, ut thesaurum uel aurum, quod mensura, aut numero contineri posset. Ceterum omnia largiri possunt dei, etiam que maxima esse videntur, pariter & voti lex, quam Timolaus tulit, que nil cunctari iubet, quo minus petatur tanquam nil euenturum sit, ex rebus ijs que postulantur. Rex igitur fieri opto, non qualis olim fuit Alexander, Philippi filius, aut Ptolomeus, siue Mithridates, uel si quis alius a patre regno suscepto, imperauit, uerum mihi primum a latrocinijs inchoanti, socij & coniurati triginta circiter obtineant, fideles admodum, & manu prompti, inde paulatim, alij accedentes alijs, trecentum fiant, & mox mille, ac paulo post decem milia, demum totus peditatus, ad quinquaginta milia usque, numero crescat, equites uero sint circiter milia quinque. Ego uero ab omnibus electus, omnibusque prelati, Imperator optimus esse uidear, qui & milites egregie ducere, rebusque cunctis recte uti ualeam, quo precipue in hac re ceteros exuperem Reges, ac illis maior uidear, tanquam uirtute propria, & non iure hereditario, assequutus, ut imperem, quum alius, regnum suis parauerit laboribus.

B in

si quidem res illa Adimanti Thesauro similis esse videretur, nec vnq̄ tam iucunda esse posset, ac si quis imperium sua industria, suisq; aquirat laboribus. LY. pape Samippe, nil humile, sed omnium bonorum caput ipsum optasti, vt tot imperes militibus, ac peritissimus, a quinq; dñis diceris myriadibus. Sane Regem tam admiradum, ac imperatorem, nobis Mantinea clanculum educauit, sed age Rex optime, iam exercitum expedi, ac equitatum instrue, nec non scutatos in ordinem redige, admodum enim scire cupio, quum tot Archades sitis, quo nam primū ituri, aut in quos miseros impetū facturi sitis. SA. audi igitur Lycine, sin placet, potius subsequere, te enim vniuersi equitatus prefectum constituo. LY. at tibi o Rex, ob honorē ralem, meritas ago gratias, ac me inclinans, Persarum te more adoro, reiectisq; intergum manibus, Tiaram erectā, et Diadema veneror, tu vero ex robustis his prefectum quendam designa, sum enim penitus equitandi imperitus nec vnq̄ antea equum ascendi, quapropter timeo, ne cum tuba insonuerit, decidam, & in turba, a tot conculcer armatis, aut si animosum ascendam equum, ille demorso freno in medios me ingerat hostes, q̄ si in equo manere, ac frenū retinere debeo, necesse erit ut sella uinculis alligar arctissimis. ADI. Ego tibi Samippe equitatū ducam, Lycinus autem dextrū agat cornu, quū decuisset ut a teipso tantū consecutus fuisset honorem, quum tot auri signati modi is te donauerim. SA. At qui Adimante, ipsos consulamus equites, num te dignum putent ut eis imperes. Vos equites appello, cuiuscunq; uidetur ut Adimantus praesit equitatu, ille manum protendat, Omnes te, ut cernis Adimante in ducem elegere, equitatu igitur impera. Lycinus uero dextrum habeat cornu, hic autem Timolaus in sinistro consistat, ego uero in medio uersabor, iuxta regum Persarum legem, quum se satellitibus quibusdam stipari uolunt.

8  
Progrediamur itaq; Corinthum per montana, Ioui suppli-  
cantes Regio, postq; uero omnia quæ sunt in Græcia, sub-  
egimus ( nemo enim tot armatis resistere audebit, sed sine  
ullo uincemus sudore ) naues ascendemus, equosq; pari-  
ter introducemus, commeatus autem abunde Cenchreis  
instructus erit, aderunt & nauigia, necnon cuncta alia ne-  
cessaria, ac omnia per mare Aegeum, ad Ionium usq; nos-  
tro subijciemus imperio, inde peracta ibi Dianæ sacrifi-  
cio, ciuitatibusq; muris carentibus captis, præfectisq; re-  
lictis, per Cariam procedemus in Syriam, inde per Lyci-  
am & Pamphiliam, necnon Pisidas, Ciliciæq; montana,  
& maritima, donec ad Euphratem perueniamus fluuium.  
LYCINVS. Atqui me, rex optime, si uideretur, Græciæ  
satrapem relinque, nam timidus sum, nec lubens a domo  
longe discedo, tu uero contra Armenios & Parthos mo-  
uere uideris, gentes bellicosas, & sagittandi peritas, qua  
propter alij dextrum committe cornu, ac me tanq; Antia-  
patrum quendam super Græciam constitue, ne quispiam  
me miserum, dum tibi circa Susas aut Bactra phalangem  
duco, sagitta, nuda percutiens, traiciat. SAMIPPVS.  
Aufugis Lycine? ac timore perculsus exercitum deseris?  
atqui lex, ordinis desertorem, capitali afficit pœna, quum  
igitur ad Euphratem perueniemus, ponte fluuium iunge-  
mus ( nam quæ a tergo relinquimus, omnia nobis subies-  
ta erunt, & a præfectis gubernabuntur, qui singulis  
gentibus a me præficientur, ac interim occupatis no-  
bis, Phœniciam ac Palestinam, demum etiam Aegy-  
ptum ipsam nostro subijcient imperio ) tuq; primum Ly-  
cine, cum dextro transgredere cornu, inde sequar ego,  
post me uero Timolaus hic erit. At tu Adimante, oim no-  
strum curâ cum equitatu gere, & per Mesopotamiã quidẽ  
nullus nobis hostis occurret, sed ultro homines, pariter  
& arces, in nostram ditionem concedent, sicq; ad Babylo-

nem perueniemus, murisque interioribus ex inprovisu cap-  
tis, urbem ipsam occupabimus, at Rex circa Ctesiphonem  
agens, quum insultum percipiet, Seleutiam transibit,  
& ad bellum se accinget, equites accersens quos plurimos,  
nec non sagitarios & funditores, Speculatores igitur nobis  
annuntiabunt, circiter Myriades centum, iam collectas  
esse, easque omnes bellicosissimas, ex quibus viginti sint sa-  
gittarii equestres, quamuis Armeni non dum aduenerint,  
neque Caspij maris accolae, aut Bactriani, sed ex propinquis  
gentibus, & regni liminibus, tam facile, tot coactas esse  
Myriades, tempus igitur instat, ut quid iam agendum sit con-  
sideremus. A D I, Ego vos peditatum ad Ctesiphontem ab-  
ducere, nos vero cum equitatu remanere, ac Babylonem  
tueri suadeo. S A, at tu quoque Adimante, quum periculo  
apropinquas, timere incipis, tibi vero Timolae quid vide-  
tur? T I, vniuersis copijs obuiam hostibus ire, nec expecta-  
re, donec maiori instruatur apparatu, quum vndique ad eos  
confluant auxilia, sed dum ad huc in via sunt eos adoria-  
mur. S A, recte dicis, tu vero Lycine quid agendum cen-  
ses? L Y, dicam, quum summo mane, ad Pireum ex iueris-  
mus, ambulationeque assidua simus defatigati, & ferme nunc  
triginta exegerimus stadia, sol vero, utpote circa meridiem,  
vehementer iam incalescat, alicubi sub oliuis hic, tanquam sta-  
tuis depictis, confideamus, ac quiescamus, inde resurgens-  
tes, progrediamur, & reliquum viae, quod ad urbem super-  
est, perficiamus. S A, at tu bone vir, Athenis tibi esse vis-  
deris, quum iuxta Babylonem in campis, ante muros, in-  
ter tot agas milites, ac de belli ratione deliberes. L Y, res-  
cte aurem vellicas, & sententia deceptum esse ostendis,  
nam ego me vigilare putabam. S A, progrediamur igitur,  
at vos in periculis viros esse fortes ostendatis, nec inna-  
tam abiciatis constantiam, iam enim hostes in nos impetum  
faciunt, sit igitur tessera Mauors, quum uero tuba signum

9.  
dederit, sublato clamore, hastis scuta pulsate, ac ita cū ho-  
stibus conflagite, confestimq; in sagittarios irruatis, ne dū  
eis iaculandi spacium tribuamus, vulneribus nos confici-  
ant. Postq; uero ad manus peruētum fuerit, Timolaus eos  
qui ex aduerso pugnant, in fugam vertat, nam Medi sunt,  
qui uero contra me decertant, diutius resistent, quoniam  
Persæ existunt, ac inter eos rex ipse, Equitatus uero Bar-  
baricus uniuersus in cornu nostrū irruat dextrū, qua pro-  
pter Lycine uir fortis esse memento, & tuos ut strenue im-  
petum excipiant, identidem admone. L Y. Heu quale in-  
fortunium, omnes ergo in me ruunt equites, ac solus ego  
dignus sum uisus, quem aggrediatur. Proinde ut mihi uis-  
dere videor, q̄primum me uirgere incipiēt, pedibus mihi  
consulam, relictisq; uobis, pugna adhuc occupatis, recto  
cursu ad palæstram tendam. S A. Minime, iam enim pars-  
tem eorum uicisti, ego uero, ut cernis, cum rege ipso depu-  
gnabo, nam me prouocat, & detrectare admodū foret tur-  
pe. L Y. Recte per Iouem, sed & te confestim ab eo vulne-  
rari decet, regiū enim est pro regno decertantem sauciari.  
S A. Bene dicis, sed uulnus, cutis tantū perstringat super-  
ficiem, nec partem corporis aliquam insignem lædat, ne  
illud postea cicatrice reddatur deforme, at qui cernis, quo  
pacto ego in illū irruens, unico ictu ipsum & equū omis-  
sa hasta confecerim, iam uero illi caput amputo, ac diade-  
ma aufero, nam rex euasi, ab omnibusq; adoror, iustū em̄  
est, ut nos Barbari uenerentur, dein uero secundū Græco-  
rum leges imperabo, unicus dux uocatus. Proinde in me-  
dium consulite, quas nam ciuitates sub meo condam no-  
mine, quasq; uicinas diripiā, si principatum nostrum  
aliqua affecerint iniuria, potissimum uero Cydāam illū di-  
uitem, morte mulctabo, qui quū mihi sit uicinus, agro me-  
meo expellere nititur, paulatim limites transgrediendo se  
insinuans. L Y. Sed iam Samippe nugari desine, tempus

C

enim est, quum talem adeptus sis uictoriam, ut eam in Ba-  
bylonia lætissimis celebres conuiujs, nam, ut arbitror, iã  
ultra stadia tibi concessa tuus progressus est principatus.  
quapropter & Timolaum si uoluerit optare finito. S A.  
Atqui Lycine, qualia nam tibi optasse uideor? LY. Longe  
Rex mirabilissime, Adimanto laboriosiora & molestiora,  
delitijs enim ille diffluens, aurea duorum talentorum pos-  
cula conuiujs porrigit, tu uero etiam vulnera excipis, ti-  
more præterea, & curis indefinentibus, die noctuq; infesta  
beris, siquidem non solum tibi res bellicæ terribiles erũt,  
sed & insidiæ innumeræ, necnon familiarium inuidia, odiũ,  
& adulatio te exagitabũt, nullum autem uerum habebis  
amicũ, sed omnes tibi uel timoris uel spei gratia beneuo-  
li videbuntur, usus autem rerum iucundarum nullus, ac  
ne somnium quidem, sed solum opinio, & purpura auro  
intexta, necnon circa frontem uitta alba, satellitesq; stipen-  
tes, reliqua uero labor intolerandus, & molestiæ innume-  
ræ, siquidem aut ijs, qui ab hostibus ad te mittunt, respon-  
sa dare cogeris, aut ius dicere, aut mandata subditis mitte-  
re, interim uero gens aliqua deficiet, aut hostes quidã im-  
perij fines inuadent, ita ut omnia timere, omnibusq; men-  
tem adhibere sit necesse, potiusq; a cunctis alijs, q̃ a temet  
ipso foelix censearis. Proinde, nonne & hoc tanto regi de-  
spectum pariet, q̃ non secus ac priuatus quispiam egritu-  
dinibus expositus eris, nec febris discernet, Rex sis nec-  
ne, sed nec mors satellites timebit, uerum quũ sibi oppor-  
tunum uisum fuerit, te inuadens plorantem rapiet, penis  
tus contempto diademate, tu uero bone uir, ab alto delap-  
sus, ex regio abstraheris solio, ac uiam transibis commu-  
nem, minime alijs honore præcellens, sed inter turbam  
abactus mortuorum, tumulũ excelsum, aut Statuam sub-  
limem, seu Pyramidem quandam, affabre insculptam sus-  
per terra relinquens, nil nisi inanis gloriæ monumenta &

10.  
reliquias. Imagines uero illæ, & delubra, quas tibi adulæ  
res erexere ciuitates, omnia cum magno pariter nomine  
breui euanescent, ac neglecta iacebunt. Si uero aliqua, eti  
am longissimo perdurabunt tempore, quis tamen usus  
nihil tibi sentienti erit? Cernis igitur, quantis molestijs ui  
uens adhuc expositus eris? curis indefinentibus, sollicitu  
dinibus & laboribus exagritatus assidue, ut interim taceã  
quæ mortem sequentur. Sed iam Timolæ tuum erit opta  
re, annitere igitur ut hos exuperes, quemadmodum uirũ  
debet prudentẽ, & qui rebus uti sciat rectissime. TIMO.  
Attende igitur Lycine, num abiectũ quid aut quod a quo  
piam reprehendi ualeat, optauero. Aurum igitur, & the  
sauros, necnon pecuniæ modios, aut regna, bellaue, seu  
pauores regios, quæ omnia tu, & iuste quidem, reprehens  
disti, minime petam, instabilia enim sunt, ac insidijs obno  
xia innumeris, semperq; fellis plusq; mellis habent. opto  
igitur ut aliquando in Mercurium incidam, qui mihi Ans  
nulos quosdam tali ui peditos largiatur. Primum quidẽ  
ut perpetuo recte ualeam, ac san<sup>9</sup> sim corpore, nec illud  
ullo pacto ledi ualeat, sed omni careat molestia. Alium au  
tem qui me, quotiens illum gestauero, omnibus reddat in  
uisibilem, Gigi illius instar. Inde quendam, cuius usu de  
cem milia hominum vires mihi accedant, ita ut pondus,  
quod omnes ij vix mouere possint, ego solus perq; facile  
attollere queam. Inde ut in altum tolli & uolare possim.  
Præterea ut vi annuli cuiusdam quotquot uoluerò som  
no inuoluam, omnesq; accedenti fores pateant, solutis re  
pagulis & claustris apertis, quæ ambo vnicum annu  
lum perficere volo. Et, quod maximum erit, alius mi  
hi annulus obtingat, qui digito impositus, amabilẽ red  
dat puellis pariter ac mulieribus formosis, necnon gentis  
bus vniuersis, ita ut nemo existat qui me nõ diligat, desis  
deret, & in ore habeat, quin ut mulieres permultæ, quum

*Opto hic sanitate. ut  
vixit Annulis mercurij*

*Amabilis*

C ij

vim amoris ingentem ferre nequeat, vltro sibi consciscat mortem, puellae vero amore insaniant, ac beatæ uideantur, si solum aliquam inspexero, quæ vero se neglectas existiment, & illæ dolore pereant, ac in summa, vt Hyacintho, aut Hilæ, seu Phaoni Chio in amore sim acceptior, & quum hæc omnia habeã, minime pauco tempore, aut iuxta mensuram vitæ humanæ viuam, sed annos mille, semper ex iuvene factus iunior, ac circa annum decimūseptimum senectutem, anguiū instar, exuam, quid igitur, si hæc possideam, deesse mihi poterit? Omnia enim quæ aliorum sunt, protinus mea erunt, quum & claustra reserare, & custodias sopire, ingrediensq; oēs latere ualeam homines. Quod si vel apud Indos, seu Hyperboreos, spectatu quid dignū, aut preciosum, seu esu aut potu iucundum erit, minime illud afferri iubebo, sed ego ipse aduolans, abunde cunctis & ad satietatem vsq; perfruar. Quod si uel Gryphes sunt, animalia vt aiūt, pennata, aut Phœnices, aues Indicæ, omnibus alijs incognitæ, etiam illas ego uidebo. Quin & Nilifontes solus ego cognouero, quantūq; terræ sit inhabitabilis, & num Antipodes aliqui ex opposito nostro habitent, dimidiū terræ Australis occupantes. Insuper & Astrozum, necnon Lunæ ac Solis ipsius naturam q̄ facile perdiscam, vtpote a vi ignis securus, & quod omnium suauissimum erit, eodem die in Babylonia annuntiabo, quis nam vicerit Olympia, & si me in Syria prandere contigerit, cenabo in Italia. Quod si mihi quis inimicus erit, clanculū me de illo vlciscar, petra illius capiti illisa, ita ut penitus conteratur, rursus amicis benefacere studebo, ac illis dormientibus itentidē aurum offundam. Quod si quis arrogans erit, aut tyrannus diues, & uiolentus, hunc uiginti quasi stadijs in altum tollam, ibiq; eo dimisso præcipitem ruere sinam. Cum puellis vero libere mihi conuersari licebit, quum inuisibilis ingredi, & omnes, exceptis puellis,



10.

fopore inuoluere possim. Sed & illud quod erit egregium: quod  
sublimis ego, & extra teli iactum pugnantes intueri pote-  
ro, quumque mihi uisum fuerit, deuictis me coniungam, uicto-  
resque omnes soparabo, sicque terga uertentibus, uictoriam  
pariter, & ut a fuga conuertantur praestabo. Et ut summa-  
tim dicam, ex uniuersa uita humana plane ludum faciam,  
ac omnia mea erunt, ita, ut cunctis hominibus deus esse ui-  
deatur, haec summa erit foelicitas, quae nec perire, neque insi-  
dijs offendi poterit, praecipue ubi corporis sanitas aetati  
tam longuae accesserit. Age igitur Lycine, potis ne es uo-  
ta mea reprehendere? LY. Minime Timolae, haud enim tus-  
tum est, uiro repugnare uolanti, & qui uiribus decem mis-  
silia homines superare possit. Verum hoc unum interroga-  
bo, num alium talem inter tot gentes, per quas uolasti, ho-  
minem uidisti: aetate iam senem, sensu tam ineptum, ac ui-  
annuli uolantem parui, quique montes totos summo moue-  
re possit digito, omnibus amabilem, quamuis caluus & na-  
ribus sit simis, sed & hoc mihi referto, cur non potius uni-  
cus annulus haec cuncta tibi largiatur? aut quid tot annu-  
lis omnes sinistrae manus digitos onerare attinet, quin &  
superat annuli, ita, ut necesse sit dextram quoque his inuol-  
uere. Verum adhuc te uno, ac eo perque necessario indige-  
re uideo, qui gestatus te a dementia ista liberet, & multam  
hanc auferat arrogantiam, nisi forte elleborum potius ad  
hanc rem facere existimas. TI. Proinde & tu Lycine opta-  
re tandem incipe, ut videamus quod ex omni parte absoluta  
& irreprehensibilia postulare noscas, qui alios calumnijs  
incessere non desinis. LY. Atqui uotis ego minime indi-  
geo, insuper & iam ad Dipylum peruenimus, optimo uer-  
o Samippus iste, iuxta Babylonem adhuc singulari des-  
pugnat certamine, Tu uero Timolae prandes in Syria, coe-  
nas autem in Italia, ac interim stadijs forte mihi concessis  
abusi estis, tametsi recte egeritis, nollem enim tam breui

C ij


tempore euanidis quibusdam perfrui diuitijs, ac mox tristitia affici, nec non tenui vesci placenta, quemadmodum & uos paulo post agetis, postq̃ magna illa foelicitas, & opes tam ingentes auolando uos destituerint, nam praeterq̃ q̃ a thesauris illis imaginarijs, & diadematis excidatis, tanq̃ e suauissimo excitati somnio, longe dissimilia inuenietis domi, Tragædorū instar, qui postq̃ magnos representauerunt Reges, a Theatro tamen ut plurimum famelici discedunt, licet paulo ante Agamennones fuerint, & Creontes. Tristitia igit̃, ut par est, affligemini, ac intractabiles ob rem eritis familiarē. Maxime tu Timolae, postq̃ idem tibi quod Icaro euenerit, solutisq̃ alis ex caelo decidet, ac uix per terrā reptare poteris, omnibus amissis annulis, qui e digitis quoq̃ obiter decident. Mihi uero fatis erit, pro uniuersis thesauris, & Babylone ipsa, q̃ suauissime ridere, quum tales sitis, talia tamen optetis, ac interim Philosophiam miris extollatis laudibus.

**Naui seu Votorū Luciani, Bilibaldo Pirckheymero interprete, Finis.**

**Nurenbergæ apud Fœdericum  
Peypus, An. M. D. XXII.**











78 L 1047

X 2208827







Capitulum Holderice amantissime pro  
in fabulas ridiculas non abstin  
nobis communis amicus noster Al  
super referbat dum ex adibus n  
tur pfectula ac omnia tibus am  
certif  
stantibus respondet et per  
quod hanc ignoramus ista no solum  
ne sed parcos et hanc qui non  
on us ita agere nantille ut verit  
pstant  
ipis denegant  
a ut infolissimus quibus tamen  
& oblectare nec no opibus Regis  
r inancit tui peller que cetera Lucia  
lor, seu manis ritor acrim, minis  
antiam vancare ob oculos pout ut  
in rucibus q admodum pfectibilis  
us, possim noster conciant t  
le qdare videt nolu & tpe a  
thurs in illo uerendo inepus esse n  
ricis sapere ceter, p pacto em hor  
collocare potuissent ut noi ritem m  
arct amore noster iam diu inuenerat

NAVIS. SEV. VOTA.  
LVCIANI.

Bilibaldo Pirckheymero  
Interprete.

